



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 58. Cardinalis Florentini obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

## §. LVIII.

Sæcul. XV.  
A.C.1417.*Cardinalis Florentini obitus.*

Die vigesima sexta Septembris Synodus amisit illustrissimum corporis sui membrum, Franciscum Zabarellam sub nomine Cardinalis Florentini toti orbi notissimum. Rumor erat, infirmitatem ejus ortum traxisse ex immoderato animi æstu, quo in quapiam Congregatione undecima Septembris die habita pro electione Pontificis reformationi Ecclesiæ præmittenda vehementius perorasset. Certum est, quod ex isto cœtu adversa valetudine correptus discesserit, & Poggius Florentinus in sua oratione funebri coram toto consessu habita testatur, Cardinalem, ubi in præfata congregatione morbo se corripere senserat, elata voce prænuñciasse, sermonem, quem tunc dixisset, totius suæ vitæ ultimum fore. Creatus est Cardinalis a Joanne XXIII, & omnium Historicorum testimonio constat, illum fuisse Virum, ingenio, prudentia, ceterisque virtutibus longe præstantissimum, eundemque, si electioni Pontificis supervixisset, hac dignitate augendum fuisse; neminem enim, ex toto Cardinalium collegio digniorem seligi potuisse, communis erat opinio. Die post obitum ejus secundo

Pogg. hist.  
Florent.

**Sæcul. XV.** ingenti pompa in Ecclesia PP. Francis-  
**A.C. 1417.** canorum sepultus est, sed post quindecim  
 dies corpus ejus Patavium translatum  
 fuit, ubi denuo ipsi oratione funebri paren-  
 tatum. Scripsit quosdam commentarios in  
 S. Scripturam, Jus Canonicum, & dere-  
 formatione, & unione Ecclesiæ, quorum  
 tamen notitia Dupini solertiam effugit.

## §. LIX.

*Sessio trigesima nona.*

*Lab. Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*238.*

**D**ie nona Octobris habebatur sessio tri-  
 gesima nona, cui Imperator interfuis-  
 se non videtur. Præcipua erat Patrum  
 cura, ut certos quosdam reformationis  
 articulos, antequam Pontifex eligeretur,  
 definirent.

## §. LX.

*Decretum de celebrandis Conciliis.*

*Ibidem.*

**L**ecta quoque nonnulla decreta, inter  
 quæ præcipuum respiciebat Concilio-  
 rum celebrationem, tanquam efficaci-  
 rem viam, qua hæreses, atque schisma-  
 ta præcaveri atque extingui, corrupti  
 mores, & abusus corrigi, ac demum Ec-  
 clesia in suo decore conservari posset.  
 Igitur Synodus perpetuo sanxit edicto, ut  
 amodo Concilia generalia celebrentur, ita  
 quod primum a fine hujus Concilii in quin-  
 quennium immediate sequens, secundum vero a  
 fine